ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Amplissime clarissimeque Dne

Ex uxoris meæ relatu didici, quam benevolum et humanum
te ei præstiteris: Verum hoc est heroicis viris et summis
ingeniis solenne, bene mereri scilicet de omnibus; et non minus
ignotis quam notis sui copiam præbere. Ego equidem in eo
mihi applaudo, quod per uxorculæ meæ audaciam, nescio an
verè dicam, importunam, me in arctiorem tui et aliorum
clarissimorum virorum notitiam insinuo. Licet enim sat
habeat fautorum semper quis rectè facit; tamen res huma=
næ fragiles et caducæ hoc requirunt, ut amicitiâ et
societate fulciantur, ut ita commune commodum mutuis
officiis gubernetur. Spero itaque te veniam daturum in=
curiæ et importunitati meæ, quod tantisper à seriis te
distraham: quam fiduciam mihi augent studia nostra
communia, quorum ego tyro, tu verò magnus es Apollo.
Hæc inquam studia (quod ingenuarum et humanarum
artium proprium est) peculiari quodam vinculo, et
quasi cognatione quadam nos devinciunt; ita ut audeam
liberius postulare, ut quâ cœpisti humanitate de cætero
pergas uxoris meæ negotia ibidem promovere, et com=
mendatitias quas à Principe requirit, impetrare.
Ipsa coram totius rei seriem latius explicabit; aut
si mavis litteris mandatam exhibebit. Si ipsam au=
dieris, iuveris, et expedieris, facies quod te decet;
egoque vicissim tibi me maximopere obæratum esse cognoscam.
Vale amplissime clarissimeque Dne, et me ut facis com=
mendatum habere perge. Dat. Venlonæ 4 Kalend. Maij
1634

Amplit. T.

ad omnia paratiss. servus

Conrad Schenck

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Schenck) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/904

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Schenck) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/904

Amplissimo clarissimoque viro
Constantino Hugenio à Zuylichem
Equiti, Illustriss. Principi Auriaco
à secretis et consilijs, Dn̄o et
Amico suo observandiss.

Hage.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Schenck) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/904